

videmus ; quām ex *confusa* & perturbatā rerum quā illō pertractantur ; *Dispositione* , atque ordinatione ; quando videlicet præpostorē summa imis permiscentur , & quā primō mediō & postremō collotanda erant locō , tumultuariè , ac nullō ordine inter se confunduntur . Specimen hujus obscuritatis exhibent aliqui Digestorum seu Pandectarum Tituli .

16. Huc usque de Obīcuritate , reliquum est ut dē *Ambignitate* dicamus . Hæc autem in oratione vel ex ejus partibus , vel ex totius complexu atque coniunctione existit & exoritur : illaque *Homonymia* , hæc verò *Amphibolia* nuncupatur ; quamvis etiam idem denotet , quod Ambiguitas . Hoc sensu Fabius Institution . lib . 7 . cap . 9 . *Amphiboliæ species sunt innumerabiles* ; adeò ut *Philosophorum quibusdam nullum videatur esse verbum* : quod non plura significet : genera admodum pauca . Aut enim vocibus accidit singulis aut conjunctis .

17. *Homonymia* est , quando orationis pars aliqua (quā est vel unum vocabulum , vel phrasis) plures diversasque habet significations . Sic vox *Taurus* apud Quintilianum , & animal , & montem , & signum in cælō , & nomen hominis , & radicem arboris denotat . Dispescitur autem vulgo Homonymia à Logicis in eam , quā à casu est , & in eam , quā à consiliō .

18. *A casu homonyma* vox dicitur , quā fortuitò , & sine ratione diversa significat ; idque innumeris ferè modis contingere potest . Fit enim vel sine vel cum vocis inflexione . *Sine inflexione* vox homonyma est sub eodem vocabulorum genere , vel diversò . Sub eodem scil . *nominum* est , *Jus* , denotans id , quod injuriæ opponitur , & quod sorberi potest ; *Malum* , pomi genus , & infortunium &c . Sub genere Verborum , *edere* , significans in lucem emittere , & ore manducare ; *Pendere* , pondus explorare , & debitum solvere ; *Cernere* , videre , judicare , & cribrare ; &c . Sub genere Participiorum *Passus* à pando & patior ; *succensus* , à succenso , & succendo . Sub genere Adverbiorum , *Ubi* , & *Hactenus* , denotantia circumstantias loci & temporis . Sub genere præpositionum , *In* , denotans contrà , inter , motum ad locum , & esse in loco . *Super* , pro , præter , ultra , de , & inter . Sub genere Conjunctionum *Ut* , significans causam , & concessionem , pro quamvis . Sub diversò genere sunt , *Latro* , nomen & verbum ; *Decursus* , *neglectus* , *impulsus* , *latus* nomina & participia ; *Penitus* Nomen & Adverbium ; *Versus* , & *Adversus* ; nomina & præpositiones ; *Qui* , & *bic* pronomina & adverbia ; *Certo* , *intro* , *eo* , *adeo* , *continuo* Verba & adverbia ; *Cum* adverbium , præpositio , & conjunctio ; *Ut* , & *modo* adverbium & conjunctiones , &c . Quā ex vocis *Inflexione* oritur , Homonymia est vel unius vel plurium . Illa non tam est ipsius significacionis , quām ejusdem circumstantiæ : estque admodum multiplex ; qnot enim in declinationibus casus , quot generum terminaciones , quot in conjugationibus temporum concurrunt personæ ? Hæc est ipsius significacionis ,